



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentiss Sanctissimæ Virginis Mariæ Matris Dei


Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1726

VD18 80217915

Censura & Approbatio Theologorum Ordinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45581



Censura & Approbatio Theologorum Ordinis.

SI omne trinum vulgò prædicatur perfectum, hoc certè præconium me-
liori jure Consultationum Theologico-Spiritualium laudatissimo trino
Operi, ab A. R. P. Ludovico Francisco, Argentaniensi, Capucino,
Normandiæ quondam Provinciale, ante plures jam annos in lucem edito,
& à R. P. Isaaco, Oxoviensi, Provinciæ nostræ Diffinitore ac Guardiano,
haud ita pridem magna cum industria verborumque tum proprietate tum
dulcedine ex Lingua Gallica in Latinam converso, citrà omnem fucum &
assentationem præfigi poterit. Disservère prima duo ejus volumina de DEO
Trino & Uno, nec non de Verbo incarnato, sublimiter ac perfectè; at ter-
tium hoc, ab A. R. P. Gorgonio, Mospurgenfi, FF. Min. Capucinorum per
Bavariam. p. f. Ministro Provinciali, ultimò censuræ nostræ commissum, de
Excellentiis SSmæ DEI Genitricis agit quàm perfectissimè, ita, ut pien-
tissimum Scriptorem, non nisi in cothurnis hìc incedentem, atque in ex-
cessu loquentem, de Matre DEI tantum dixisse judicemus, quantum licet
homini loqui de ea, utpote cujus privilegiorum mensura doctissimum juxta
Suarezium in 3. p. 60. disp. 3. sect. 5. sola est DEI Potentia, ipsique soli
(consentiente Bernardino Senensi) ad cognoscendum reservata Virginis per-
fectio. Quandoquidem igitur tria hæc ter insignia Opera totidem aurea
quasi candelabra sint, omnigenæ virtutis & altissimæ Theologicæ Scientiæ
splendore præfulgida, prioribus duobus per latinam evulgationem communi
legentium oculo jam expositis, nec tertium sub modio reponendum erit,
quatenus & id lucere queat omnibus, qui in domo sunt sanctæ Matris Eccle-
siæ, cum nihil illi adversum contineat, aut veræ ac sanæ fidei contrarium.
Proderit sanè hæc ultima Consultationum pars mirificè doctis omnibus, il-
lam profundius inspicientibus, ad Marianum in se cultum concitandum te-
nerrimosque ciendos affectus ergà Matrem pulchræ dilectionis; præcipuè
verò zelosis divini Verbi Præconibus lucem subministrabit perutilium ac se-
lectorum conceptuum, per quos cum ingenti animarum fructu Christum
parere valeant in cordibus audientium, ipsamet obstetricante alma Virgine,
quam dulciter in hunc finem interpellat mellifluus: in te ô Virgo! est vir-

)()()()(2


tus



tus, ut sis Mater Domini, potes námque eum gignere in corde tuo. & in corde alieno. Dignissimè ergò pariter lucem aspiciet tertii Operis latina hæc versio, ut omne trinum perfectum sit: ita, quantum in nobis est, subscripti permittimus ambo, imò unicè optamus, & exspectamus.

Fr. Beatus Monacens. Capucin.
Diffinitor ac Guard. ind.

F. Bonagrasia, Monac. Capucin.
Concionat. & antehac SS. Theologiæ
Lector. indig.



EGo infrà scriptus FF. Min. Capucinatorum Provinciæ Bavaricæ Minister Provincialis ex impositione à Rev. P. Bernardino à S. Angelo Vicario Generali nostro mihi facta, juxta Privilegium in hac parte Officio meo concessum, sicuti primam & secundam, ita & Tertiam hanc Partem Consultationum Theologicarum, Gallico primùm idiomate editam per R. P. Ludovicum Franciscum Argentanensem Capucinum Normandiæ Provinciam, latinitate verò donatam à R. P. Isaaco Oxoviensi Ordinis & Provinciæ nostræ Congreg. Guardiano ac Definitor, legitimè censam, probatamque typis evulgari permitto, & D. Joannis Caspari Bencard Viduæ, & Filio Jus Cæsarei Privilegii eatenus indulgeo, quatenus ipsi invitis nemo ullam partem sive conjunctim, sive separatim intrà S. R. J. fines, aut Hæreditarias S. C. M. Provincias recudere, importare, aut venum exponere audeat. Ad majus tum facultatis, tum fidei robor sigillum Officii mei oppressi, & nomen meum subscripsi. Thegopagi 8. Februarii 1724.

Fr. Horgonius Mospurg,
Capuc. Min. Provinc. ind.

INDEX